Q. D. B

DISSERTATIO P

QVA

AUTORI

PRÆCEP

NOACHITI

IN ALMA PH

CONSENSU AMPLISS

ORDIN

IN DUBIUM V

PRÆS

M. GERHARDUS

MENC

ET

RESPONI

JOHANNES NICOLAU

OLDENBURG

AD D. XVIII. APRIL. A.

EDITIO SECUNDA

LIPSI

Literis BRANDENBU

Q. D. B. V.

IO PHILOLOGICA,

QVA

RITATEM

EPTORUM

IITICORUM

Gen. VIII. 21.

MA PHILYREA

PLISSIMI SAPIENTUM

ORDINIS

M VOCABUNT

RÆSES

DUS HERMANNUS

ENCKE

ET

SPONDENS

OLAUS à DUMBSTORFF

IBURGENSES.

PRIL. A. R. S. MDCCXI.

CUNDA AUCTIOR.

IPSIÆ,

8.

DENBURGERIANIS.

VIRO

MAGNIFICO, SUMME REVEREN-
DO, CONSULTISSIMO, ATQUE EXCEL-
LENTISSIMO,

DOMINO

LÜDERO MEN-
CKENIO,

ICTO,

REG. MAJ. POL. ET ELECT. SAX. CON-
SILIARIO, FACULTATIS JURIDICÆ LIPSIENSIS
ORDINARIO, ANTECESSORI PRIMARIO SU-
PREMÆ CURIÆ PROVINCIALIS ASSESSORI-
ECCLESIÆ CATHEDRALIS, QUÆ MARTIS,
BURGI EST, CANONICO, ACADE-
MIÆ DECEMVIRO, ET MINORIS
PRINCIPUM COLLEGII
SENIORI,

DE SINGULIS, QUÆ GERIT, OFFICIIS
MERITISSIMO,

DOMINO, COGNATO ATQUE PA-
TRONO SUO SANCTE DEVENERANDO.



VIR MAGNIFICE,

PATRONE ATQVE COGNATE DEVENERANDE!

PRimum nunc in publicum prodeunti, quisnam potissimum Patronus mihi foret salutandus, cum dispicerem, neminem TE rectius hac oratione mea adiri posse deprehendi: Legum etenim & Ipse Antistes & promuscondus, quique nihil magis urges, quam ut justitia per TE sem-

per

per optume sese habeat; non putabis plane alienum, has pagellas, de legibus perantiquis conscriptas, tuo offerri exquisitissimo, & juxta leges rectæ rationis exacte formato judicio. Imprimis si cogites, hunc ipsum qui TIBI easdem tradit, plus una lege TIBI esse obligatum obstrictumque, cum monitis TUIS, pro lege habendis, ejus vitam maxime & studia formare non fueris dedignatus; & ego ipse sangvinis vinculum, quo TIBI iunctus sum, maxima cum voluptate perceperim, ut vel prima occasio, qua meam TIBI, ILLUSTRIS VIR, *& pietatem & subiectissimam mentem notam facerem, arripere ius fasque æstimaverim. Admisisti etiam me ad TUUM colloquium, in quo & antiquorum legis autorum gravitas, & recentissimorum elegantissima humanitas luculentissime apparet. Quam felicitatem mihi cupio perpetuam, nam & Cicero, legum Romanarum peritissimus, præcepit, ut iuvenes sese ad summos in republica viros conferant, & ex contubernio eorundem sapientes reddantur. Ut igitur imposterum & in me immerentem aliquid ex fonte TUÆ & perinsignis benevolentiæ & consummatissimæ eruditionis derivetur, volui, debuique has tenues paginas, in pignus obstrictissimæ voluntatis* NOMINI TUO ILLUSTRI *offerre, & publice simul devotam mentem testari,*

ri, quod hactenus tantum licuit pietate privata. Accipe modo benevola mente primitias, quas demisse TIBI consecro, Academicas, & animum potius offerentis, quam ipsum munus respice. Deus TUAM tueatur & autoritatem & vitam, ut diutissime præsis Legibus & Reipublicæ, legesque antiquæ pariter ac recentiores, ad publicum bonum formatæ, in TE inveniant cum omnibus, qui legibus bonis subjecti vivunt, perpetuum firmumque præsidium. Abs TE vero, VIR MAGNIFICE, *eam mihi submisse expeto felicitatem, ut ea, qua hucdum me prosecutus es, benevolentia, ulterius complecti, TUOq; beare patrocinio ne dedigneris*

NOMINIS TUI MAGNIFICI
ATQUE EXCELLENTISSIMI

Clientem devotissimum

Johannem Nicolaum a Dumbstorff.



AUTORITAS PRÆCEPTORUM NOACHITICORUM NEGATA.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

§. I. *Judæorum scripta fabulis plena sunt.*

§. II. *Præcepta Noachitica, & sententia Hebræorum de illis recensentur.*

§. III. *Vox* Noachidarum *explicatur, & de proselytis disseritur.*

§. IV. *Autores & fautores sententiæ de præceptis Noachiticis adducuntur.*

§. V. *Sigillatim* Dn. D. Buddei *sententia producitur.*

§. VI. *Argumenta ejus in medium proferuntur.*

§. VII. *Respondetur ad argumentum primum.*

§. VIII. *Respondetur ad argumentum secundum.*

§. IX. *Respondetur ad argumentum tertium.*

§. X. *Nostra sententia adducitur, & primum argumentum pro corroboranda illa affertur.*

§. XI. *Secundum argumentum adducitur.*

§. XII. *Tertium argumentum adducitur.*

§. XIII. *Quartum argumentum adducitur.*

§. XIV. *Quintum & ultimum argumentum affertur.*

§. XV. *Sententia* Hammondi *&* Clerici *circa locum, Act. XV, 20. adducitur, & refutatur.*

§. I.

§. I.

Judæorum scripta fabulis scatent.



Magnam certè, qui Hebræorum scripta penitius introspicere, & sedula volvere manu consveverunt, eandemque inusitatam antiquitatis affectationem plus vice simplici in illis deprehendent. Iste enim apud Rabbinos mos invaluit, ut recentissimis demum seculis incrustata ab iis commenta vetustissimis adscribere Patriarchis, & pro infallibili veritatis canæque antiquitatis documento venditare non erubescant. Innumera, quibus scripta eorum scatent, id comprobant exempla, quæ recensere supersedeo, cum ex unico in medium producto exemplo hujus veritatem asserti satis liquere existimem. Quodsi enim decantata illa *septem Noachidarum præcepta* altius consideremus, tanta Judæorum videbimus nugamenta, quanta solent esse, cum sunt maxima. Longum foret, & actum ageremus, si prolixa hanc doctrinam declaratione excutere velimus, quare *horum* saltem *autoritatem præceptorum*, a nonnullis stabilitam in præsenti in dubium vocamus, eandemque *negatam* B. L. sistimus.

§. II.

Præcepta Noachidarum cum sententia Hebræorum recensentur.

De autoritate itaque præceptorum Noachiticorum pro instituti ratione breviter acturi, genuinam prius, ne andabatarum more pugnemus, de Noachidarum præceptis, juxta Hebræorum placita, sententiam exponemus. Scilicet septenario numero legum istarum summam Hebræi Doctores complecti consveverunt, quæ a plerisque hoc ordine (licet alii alium servare malint) recensentur: (1) על עבודה זרה de cultu extraneo h. e. idololatria, (2) על ברכת השם de benedictione, seu, sensu antiphrastico, maledictione nominis divini. (3) על שפיכת דמים de effusione sanguinis humani. (4) על גילוי עריות de revelatione pudendorum. (5) על הגזל de rapina, ac furto. (6) על הדינים de judiciis. (7) על אבר מן החי de membro è vivo, h. e. de membro animalis viventis non comedendo. (*a*) De quibus omnibus Hebræi,

(*a*) Indigna ulteriori explicatione & prolixa recensione præcepta Noachitica existimasse videtur COCCEJUS, dum *in comment. ad tit.*

bræi, & quotquot iſtis ſubſcribunt, eam fovent ſententiam, ut ſex priora Adamo data fuiſſe contendant; ſeptimum verò mandatum Noacho additum perhibeant; quibus tempore Abrahami mandatum circumciſionis, precumque matutinarum; tempore Iſaaci præceptum precum dicendarum in meridie, & ſeparationis decimarum; tempore Jacobi præceptum de nervo luxato non comedendo, & precibus veſpertinis; imò in Ægypto poſtea degentibus Iſraelitis, plura ab Amramo injuncta præcepta, donec tandem ſub Moſe lex tota conſummaretur, adjecta fuiſſe aſſeverant. Conferri hic meretur OTHO *in Lexico Rabbinico-Philologico p. 402. 403.* Hæc etiam eſſe præcepta, ob quorum violationem gentes mundi à Deo punitæ ſint, ſtatuit MENASSE BEN ISRAEL *in conciliatore, qu. 2. in Deuter p. 221.* (b) Præterea ſeptem illa jamjam enumerata præcepta pro jure naturali omnium populorum venditare non dubitant, quæ in religione fidelium V. T. qui ante Abrahami tempora vitam exegerunt, omnem ferme paginam fecerint, omnique tempore idonea ſint, quæ æternam omnibus hominibus conciliare poſſint ſalutem.

§ III.

Quinam ſint Noachidæ.

Cum verò Judæi ſe ipſos ad plura alia, quam hiſce præceptis contineri videmus, adſtringi non diffiteantur, eamque ob cauſam *Noachidarum* præcepta iſta appellent, operæ pretium erit, indagare, quosnam per Noachidas iſtos indigitare voluerint. Quod enim ſe ipſos hoc nomine prorſus excludere intenderint, vel ex eo diſpaleſcit, quod ſummo cum faſtidio nomen hoc reſpuant, eaque propter nos Noachidarum nomine cum probro inſigniant. Sole meridiano clarius illud elucet è verbis *Gemaræ*, quæ adducit SELDENUS in ſuo *de jure naturæ & gen-*

Sanhedrim, c. 7. §. 5. p. 17. a. ea, quæ de iis in Gemara accongeruntur, adſcribere, intempeſtivum pronunciat.

(b) Contrariam tamen defendit ſententiam *MAURITIUS de principiis juris publici Germanici c. 3. §. 17. p. 38.* ſcilicet, ne ipſos quidem Judæos ea in proſelytorum domicilii profeſſione exegiſſe, neque propter eorum violationem in judicium vocaſſe Noachidas: Unde vix ſerio exiſtimare potuerint eorum violatione in naturæ legem peccari.

& gentium juxta disciplinam Hebraeorum opere, *l. 1. c. 10. p. 118.* אתקרון ישראל על שמיה דאברהם ולא על שום בני נח: h. e. *nomen sortiti sunt Israëlitæ ab Abrahe nomine, & minimè à Noachidis.* Quàm futile verò, ac inane illud sit effugium, nemo inficias ibit, qui æqua lance ponderaverit, ipsum Abrahamum *Noachidam* extitisse, quô etiam vocabulo nonnunquam in eorum scriptis nuncupari solet. Vid. SPENCERUS *de Legibus Ebræorum ritualibus l. 2, c. 2. p. 443.* Noachidæ itaque, teste MARSHAMO *in canone chronico, seculo IX. p. 160. & MAURITIO de principiis juris publici Germanici, c. 3. §. 17. p. 38.* ipsis audiunt gentes omnes, præter Hebræos, qui *Abrahamidæ*, vel potius *Israëlitæ*, vocari amant. Unde patet, eos intelligi oportere populos, qui extra Judæam nati, ad cœtum Judaicum se convertunt, Græcoque nomine προσήλυτοι (a προσηλυθέναι, vel προσεληλυθέναι, adveniendo) vulgô nuncupantur. Duplicis autem generis proselytos antiquitatis Hebrææ indagatores utplurimum recensent, גרי צדק proselytos justitiæ, & גרי תושב vel שער, proselytos domicilii, sive portæ. (Quamvis alii, *(c)* ternarium amplectentes numerum, addant גרי שכירים proselytos mercenarios; peregrinos scilicet mechanicos, qui patria relicta inter Judæos habitarunt, artis mechanicæ addiscendæ causa, quod verò proselytorum genus, cum ad inquilinos pertineat, superfluum esse cum DN. D. CYPRIANO *in dissert. de baptismo proselytorum Judaico, c. 2 §. 1. p. 11.* existimamus. *d*) Priores, qui etiam גרי ברית proselyti foederis

(c) Admittunt ternarium proselytorum numerum *LEUSDENIUS in philologo Ebræo mixto, dissert. 21. p. 142. seqq. HOTTINGERUS in thesauro Philologico l. 1. c. 1. sect. 3. p. 19. & FRASSEN in disquisitionibus Biblicis in Pentateuchum, ad Gen. c. IX. p. 176. seqq.* sed in binario numero acquiescit *GODWINUS Mose in & Aaron l. 1. c. 3. §. 5. p. 16. 17.*

(*d*) Neque enim triplex proselytorum genus ex loco Exod. XII, 45. idoneo corroborari potest argumento. Nihil namque aliud scopus textus insinuat, quam eos, qui per circumcisionem in fœdus Dei non sunt recepti, à comedendo Paschate esse excludendos. Exinde vero nefas est, inferre, triplex dari proselytorum genus, cum inquilini atque mercenarii unam tantum proselytorum classem constituant.

deris, vel גרים גרורים prosélyti tracti, h e. â se ipsis moti, ad Judaismum suscipiendum, nuncupabantur, præputio abscisso, se totos pædagogiæ Mosis subdebant, zeloque colendi veri Numinis, Judaico more, Mosis legem profitebantur. (e) Posteriores, qui etiam חסידי אמות העולם pii gentiles seculi, vel צדיקי אמות העולם justi gentiles seculi appellabantur, dummodò septem filiorum Noæ præcepta exactè observent, æternæ in futuro seculo participes fore beatitudinis credebantur. Rotundè rem exprimit DN. D. J. ANDR. SCHMIDIUS *in dissert. de symboli Apostolici in Talmude ruderibus*, §. 19. *Sunt itaque* בני נח *filii Noæ, probi præsertim, nec vitiis his indulgentes, idem in Talmude, quod proselyti domicilii.* Nec non LEIDEKKERUS *de Republica Hebræorum*, *l. 6. c. 7. p. 373. Qui ea præcepta receperit, vocabitur proselytus domicilii quolibet loco.* Interim tamen, quæ obligabant proselytos domicilii septem præcepta, proselytis justitiæ, cùm sacris tingendi essent, tanquam per repetitionem tradebantur. vid. *DN. D. SCHMIDIUS l. c. §. 18. p. 25.*

§. IV.

His præstructis, facile, opinor, judicatu erit, in eo totos esse tantum non omnes Hebræorum doctores, ut horum ἀυθεντίαν præceptorum non modo constanter asseverent sed & acriter propugnent. Sic eam amplectitur sententiam R. MOSES BEN MAIMON *in Halacha Melachim c. 9.* Ipsi concinunt *Talmudistæ in Gemara Babylonica, ad tit. Sanhedrim, c. 7. f. 56. a.* & *ad tit. Joma, c. 6. f. 67. b.* & *Autor τῦ Breschit Rabba, parasch. 34. f. 37. col. 3.* Subscribit quoque huic sententiæ GILBERTUS GENEBRARDUS, *Archi-Episcopus Aquensis, l. 1. chronol. ad annum mundi 1656.* Nec abhorret ab hac opinione JURIEU *dans histoire Critique des dogmes, & des cultes, part. 1. chap. 6. p. 39. seqq.* qui magno hanc assertionem præditam esse fundamento, satisque videri probabilem, asserit. Conf. SELDENUS *de jure naturæ & gentium, juxta disciplinam Hebræorum, l. 1. c. 10. p. 116. seqq.* item *de Synedriis, l. 1. c. 2. p. 5. seqq.* FRASSEN *in disquisitionibus Biblicis in Pentateuchum, ad Gen. IX. p. 176. seqq.* & MARSHAMUS *in Canone Chronico, seculo 9. p. 160. & 184.* ubi plura ad hoc argumentum spectantia reperientur.

Hebræorum aliorumque sententia.

§. V.

(e) Tria interim juxta Maimonidem requiruntur ad Israëlitam & proselytum justitiæ, circumcisio, baptismus, & sacrificium, *vid. GEIERUS in comment. in Psal. XXXIX. 13. p. 569.*

434

§. V.

Sententia Theologi Jenensis.

Sigillatim ex nostri ævi Theologis, Viro Celeberrimo, & de re Literaria meritissimo, DN. D. JOHANNI FRANCISCO BUDDEO, in libro, quem inscripsit: *Introductio ad historiam philosophiæ Hebræorum*, *p. 14. seqq.* non adeo improbandum hoc dogma videtur. Enimverò præcepta ista Noachidarum, ut vocat, celeberrima, tanquam sapientiæ Noachicæ monumentum, à Noacho profluxisse, manifestum esse arbitratur. Hinc Noachum in hisce præceptis suis juris naturalis ac positivi divini capita quædam complexum esse, asserit, valdè verosimile existimans, eum obviam ire illis voluisse iis vitiis, quibus antediluviani homines maximè dediti fuerunt, quibusve sibi & orbi universo exitium attraxerunt.

§. VI.

Argumenta ejus recensentur.

Argumenta, quibus Vir Celeberrimus, atque Doctissimus sententiam suam corroborare annititur, ad tres potissimum classes revocari possunt: 1) Nullam se videre causam asserit, cur hæc gentis Ebrææ traditio vocari in suspicionem debeat. 2) Manifesta putat se horum præceptorum invenisse vestigia in libro Jobi, antiquissimo sanè, &, ut plurimi volunt, ab ipso Mose, priusquam populum Ebræum ex Ægypto educeret, conscripto. Hinc primum præceptum de idololatria probaturus, provocat ad Jobi c. XXXI, 26. secundum de blasphemia, ad c. I. 12. tertium de homicidio, ad c. XXXI, 29. quartum de adulterio, ad c. XXXI, 9. quintum de furto, ad c. XXXI, 7. sextum de judiciis, ad c. XXIX, 1. Septimi autem Noachidarum præcepti de animalis viventis membro non comedendo, nulla in libro Jobi, antiquissimo licet, occurrere vestigia, lubens Vir Doctissimus fatetur. 3) Sententiam suam confirmare allaborat ex eo, quod in antiquissimarum gentium, præsertim Ægyptiorum ritibus, moribusque juris hujus Noachidici reliquiæ quædam deprehendantur, quod ut demonstret, recipit sese ad MARSHAMI *canonem chronicum, seculo 9. p. 161. seqq.*

§. VII.

Refutatur argumentum primum.

Quod itaque pace Viri Celeberrimi fiat, perlustrabimus paucissimis doctissima ejus argumenta, nostramque qualemcunque pro

ingenii

ingenii modulo iisdem subjungemus ἐπίκρισιν. Quod primum concernit argumentum, quo statuit Vir Celeberrimus, nullam se videre causam, cur hæc gentis Ebrææ traditio vocari in suspicionem debeat; crediderim sanè, gravissimas subesse rationes, quæ nos vel invitos ad præbendum dissensum, & denegandam dictis fidem impellant, atque commoveant. Constat enim inter omnes, quàm nugivendula sit gens natio Judaica, quamve in tradendis somniis, & proponendis fabulis suas quærat delicias, hinc omninò cautos, & circumspectos nos esse oportet, ne rancidis Hebrææ gentis scriptoribus nimiam in hoc passu tribuamus fidem, adeoque pro Junone nubem, & pro veris falsa amplectamur. Ceteras dissensionis nostræ rationes, solutis reliquis, quæ nobis obvertuntur, argumentis, in medium proferemus, ex quibus satis clarè, & dilucidè patebit, non omni nos carere fundamento, dum negativam sententiam præ affirmativa intrepidè adhuc tuemur.

§. VIII.

Sed longè majori specie gaudere videtur alterum, quod adduxit, argumentum, quo operam dat, ut probet, in ipsis sacris oraculis, cœlestibus religionis monumentis, non obscura horum præceptorum occurrere vestigia, ex quo relinquatur, ut ἄγραφα, vel ἀντίγραφα, hæc præcepta sugillari nec posse, nec debere. Provocat ad antiquissimum Sacræ Scripturæ librum, eumque juxta plerorumque sententias à Mose conscriptum, scilicet Jobum, (f) ex quo nunc hinc, nunc inde quædam decerpsit, quæ scopum suum quodammodo ferire, & ad demonstrandam septem præceptorum Noachiticorum αὐθεντίαν facere videbantur. Sed, quod bona Tanti Viri venia dixerim, admodum

Refutatur argumentum secundum.

(f) Neque enim huic sententiæ morose repugnabimus, quin potius eidem cum celeberrimis quibusdam Theologis lubentes subscribemus, ut Moses scripturæ Canonicæ primus habeatur Autor, vid. *CALOVIUS in Critico Sacro p.77.* Id tamen cum *PFEIFFERO in Critica Sacra p.55.* ægre concedimus, nos hodie non textum primitivum libri hujus Canonici, sed translationem modo habere. Sive enim Jobus in Idumæa vixerit, sive in Arabia, nil obstat, quin Arabis res gestas Moses texat idiomate pure Ebræo uti Pharaonis Ægyptii historiam sine contagio Copticismi scripsit.

infirma mihi hæc argumentandi ratio videtur. Ut enim ſilentio in volvam, ſeptimi præcepti, fatente ipſo Celeberrimo Viro, nulla in libro Jobi occurrere veſtigia, ex quo, ſi κατ' ἄνθρωπον diſputare velimus, invicto argumento ſequeretur, non ſeptem, ſed ſex Noachidarum præcepta dari, utpote quæ in libro Jobi tantum recenſeantur: Iſtud ſaltem h. l. notari meretur, omnia iſta ex Jobo adducta loca aſſertioni noſtræ prorſus non adverſari, illa enim doctrinæ capita à Jobo debuiſſe obſervari, nemo unquam inficias ibit. Sed hoc ſaltem controverſiæ noſtræ caput eſt, numne præcepta iſta à Noacho fuerint profecta, quod diffitemur, & ex locis adductis probari non poſſe confidimus. Enimverò, ſi ita argumentari liceret, quid prohiberet, quò minus omnes Jobi virtutes ex libello ejus colligamus, atque ex ſingulis pro lubitu præceptum aliquod Noachiticum nobis formemus? inprimis, cum de decantatis iſtis Noachidarum præceptis ne γρῦ in toto ſacro Codice legatur. Unde igitur apodicticè, vel ſaltem probabiliter colligitur, hæc ipſa præcepta à Noacho profluxiſſe, eique ſuum debere ortum, quod tamen manifeſtum eſſe arbitratur Celeberrimus vir? Numne forte ex ipſis Noachi libris, quorum meminit AUGUSTINUS *l. 18. de Civitate Dei, c. 38.?* Atqui vero hos ipſos ſuppoſitios eſſe, largitur Doctiſſimus Vir. Numne ex conſtanti Hebræorum traditione? Hanc verò lubrico inniti fundamento, jam ſuprà occupatum eſt. Firmo ergo ſtat talo, nullum in ſacris literis Noachiticis præceptis inveniri præſidium.

§. IX.

Tertium denique argumentum, quo ſuam ſtabilire conatur hypotheſin, huc potiſſimum redit: Quod in antiquiſſimarum gentium, præſertim Ægyptiorum, ritibus, moribusque juris hujus Noachidici reliquiæ quædam deprehendantur. Sed nec hoc argumentum ſtringere mihi videtur, vel probare id, quod probare debebat. Nihil enim aliud inſinuat, quam rudera nonnullorum ad jus naturæ ſpectantium præceptorum apud Ægyptios reperiri: Quid verò hoc ad demonſtrandam præceptorum Noachiticorum αὐθεντίαν conferre debeat, fateor, me nondum perſpicere, quandoquidem nulla eorum mentio injicitur, & præterea adhuc alia juris divini capita ab Ægyptiacarum rerum ſcriptoribus recenſentur. Sic ipſe MARSHAMUS *in canone chronico, ſec. 9. p. 187. ſeqq.* reliquias apud Ægyptios oſtendit dogmatum

Refutatur argumentum tertium.

Chri-

Christianorum de honore Parentum, de fugiendo mendacio, & sanctificando sabbato, de quibus tamen altum in septem præceptis Noachiticis apparet silentium, neque quisquam sufficienti, & idonea probatione hæc capita ad Noachidarum præcepta referre unquam poterit. Ne quid addam de præcepto de revelatione turpitudinum; licet enim asperæ quoque pœnæ in Ægyptiorum legibus circa mulierum delicta statutæ essent, eorum tamen consuetudinibus hoc præceptum maximè adversari, ex Levit, XVIII, 3. dispalescit. Sic ad præceptum de membro animalis vivi non comedendo, ex Ægyptiorum disciplina nihil annotatum reperitur, judicio WITSII *in Ægyptiacis, l. 1. c. 5. p. 22.* Indulgeat ergo suavibus istis Rabbinorum somniis, quisquis velit, sufficit, quod nullo idoneo argumento eorum sententia fulciatur, & Sacrarum præcipue Literarum testimonio, ac confirmatione destituatur.

§. X.

Remotis itaque obstaculis, nil amplius restat, quàm ut nostram in medium proferamus sententiam, eandemque validis corroboremus argumentis. Nobis enim cum HOFMANNO *in Lexico Universali, T. III. p. 336.* & *OSIANDRO in typo legis naturæ p. 177.* Talmudicorum commentis annumeranda hæc doctrina videtur, qui, sueto a Magistris istis mentiendi libidine, illustriora quæque ad Patriarchas, vel Prophetas Auctores referre solent. Sunt enim pleraque juris naturalis dictamina, ex Decalogo repetita, eodemque ordine disposita, inque Israelitarum, ut videtur, Republica olim usurpata. Et primo quidem admodum suspecta mihi hæc de Noachiticis præceptis doctrina videtur, quoniam ne inter ipsos quidem Judæos, quorum tamen traditione unice innititur, de justo horum præceptorum numero convenit. Extra omnem dubitationis aleam illud positum erit, si perpendamus insignem illam, ac palpabilem Judæorum circa hoc argumentum discordiam. Mischna enim horum præceptorum prorsus non meminit, Gemara Babylonica verò septem præceptorum mentionem injicit, quibus tamen *R. Chanina* adjecit præceptum de sanguine viventis, *R. Chidka* insuper de castratione, *R. Simeon* de magia; *R. Elieser* de heterogeneorum animalium admissione, arborumque insitione. Vid. MARSHAMUS, ipsa in Gemara contenta verba adducens, *in canone chronico, sec. 9. p. 260.* Quæ omnia satis perspicue indicant, aut prorsus falsam, aut certè ad minimum dubiam esse illam de septem Noachidarum præceptis sententiam: Ex falsis enim

Nostra sententia adducitur.

Argumentum primum.

 aut

aut dubiis principiis nunquam vera aut certa orientur principiata. Si igitur dubio non caret ipsa Rabbinorum de hac materia hypothesis, qua quæso ratione ipsorum dicta, tanquam certa, explorata, & indubitata haberi possunt? Firmissima ergò persistit nostra argumentatio, qua ex summo Judæorum dissensu de infirmitate theseos adversæ concludimus, eandemque inter Judaica nugamenta, ac fabulosas historias merito quodam suo referimus.

§. XI.

Argumentum secundum.

Secundò illud obstat, quò minus contrariæ me adscribere sententiæ possim, quoniam eadem ἄγραφος est, nec ullo in divinis oraculis fundamento gaudet. Quodsi enim vel totus pervestigetur Sacer Codex, in nullo loco, vel vola, vel vestigium septem Noachiticorum præceptorum deprehendetur. Ostendat mihi quispiam, & erit mihi magnus Apollo, a Noacho illa profluxisse præcepta: Ostendat, proselytos hisce *tantùm* præceptis jure divino pleneri, & victas manur dare non recusabo: Ostendat, denique horum *tantùm* præceptorum observationem æternam conciliare posse salutem, & hauddifficilis in suffragando sum futurus. Quæ omnia eò me adducunt, ut firmiter mihi persuadeam cum SPENCERO *in tract. de Legibus Ebræorum ritualibus, l. 2. c. 2. p. 443.* meritò dubitari posse, an unquam præcepta illa (quorum apud Hebræos mentio tàm frequens) Adami, vel Noachi filiis ante Mosis tempora fuerint mandata, cùm eorum in Sacris Literis, & Josephi scriptis ne vel auram levissimam percipere liceat: A probabilitate verò longè distat, Scriptores eos rem tàm claram, & literis aureis mandari dignam, modò veritati consonam, silentio præterire voluisse, cùm præsertim id agerent, ut celebriora omnia, Rempublicam Hebræorum spectantia memoriæ traderentur. *Omnia certè ea fundantur* (ut CARPZOVIUS judicat *in notis ad* SCHICKARDI *jus Regium Hebræorum, p. 333. 334.*) *in Talmudis Babylonici Gemara, Massechet Sanhedrin, f. 56. col. 1. 2. unde & Maimonides sua hac desumpsit: Quanquam & ante Talmudis consarcinationem R. Jose ben Chilpeta, præceptor Jehudæ Sancti, Autoris Mischnæ, ea recensuerit in seder Olam Rabba, c. 5. f. 6. col. 2.* In medio hanc sententiam relinquit MEVIUS *in nucleo Juris naturæ & gentium, inspect. 1. n. 10. p. 18.* qui tamen p. 13. id largitur, quod, Deum leges quasdam humano generi in universum dedisse, historica fide certa non constet. Neque

p. 18. asserere audet, horum præceptorum ut à legis latore factam fuisse publicationem, licet illa ex naturali ratione mentibus indita, & dictata, & à Noacho liberis atque posteritati inculcata fuisse, certum existimet. Sed accuratè hanc controversiam decidit LEIDEKKERUS *in tract. de Republica Hebræorum, l. 6. c. 7. p. 378. De præceptis septem Noachi*, dicens, *non est quid in Scripturis, nec de coactione ad ea observanda, nisi quod gentes Cananæas, in Legem naturalem peccantes Deus justo consilio exscindi præceperit.* Consentit DORSCHEUS *in discussione explicationis circa locum Act. XV, 20. de sanguine, & suffocato, assert. 1, §. 2. Dubium est*, inquiens, *an id, quod de præceptis, filiis Noæ datis, ex Rabbinis traditur, se omninò ita habeat: Certè Scriptura de eo nihil habet: Et Adamo, & Noacho plura præcepta fuisse, quàm istis traditis continetur, satis manifestum est.* Sic FRISCHMUTHUS *in dissert. de septem Noachi præceptis* §. 3. nonnisi ex Talmudistarum, & Rabbinorum Scriptis hæc præcepta hauriri posse, fatetur. Consentit MAURITIUS *de principiis juris publici Germanici, c. 3. §. 17. p. 38.* OSIANDER *in typo legis naturæ, p.* 177. nec non *ad Grotium, p. 260. seqq.* Prorsus ad rem PUFENDORFIUS *de origine & progressu disciplinæ J. N. §. 1. p. 201. Ut quis omnibus populis & αὐθεντίαν ejus traditionis, & numerum istorum præceptorum, argumentis utrinque admissis, persuadeat, id verò valdè arduum fuerit.* Quid? quod ipsi sententiæ adversæ fautores diffiteri illud non possunt, dum in *Sepher Ickar, P. III. c. 14.* disertè legitur: Se de præceptis hisce loqui לפי קבלת רז״ל *juxta traditionem Rabbinorum nostrorum piæ memoriæ.* Eadem ratione *R. Jehuda ben Samuel in Sepher Cosri, part. 3. §. 73.* apud SELDENUM *de Jure naturæ & gentium, juxta disciplinam Hebræorum, l. 1. c. 10. p* 121 *inquit*: אך אצל העם קבלה בשבע המצוות האלה h. e. *Attamen habetur vulgò traditio de septem istis præceptis.* Cumque ipsam religionem in hac materia implicari, in propatulo sit, siquidem proselytis, dummodò hæc septem præcepta observent, (quibus tamen plura fuisse observanda, in confesso est) beatifica Dei visio ab Hebræorum Magistris adscribitur, invictum mihi exinde nascitur argumentum: Quodcunque Scriptura Sacra in rebus, religionem nostram concernentibus silet, & sine ullis vestigiorum notis tacita præterit, illud dubiam certè, si non prorsus falsam, parit fidem, nam extra sacras Literas in salutis negotio curiosis nobis esse non licet, monente HACKSPANIO *in sylloge disputationum, oratione, de necessitate sacræ Philologiæ p. 29.* Atqui de præceptis Noachiti-

cis hactenus illud est evictum. Ergò. Imò totum illud dogma, quantum quantum est, Rabbinismum sapere, non infeliciter probasse videtur SPENCERUS *l. c.* tùm ex numero septenario, cum adhuc alia, e. g. de Parentibus honorandis, de uxore ducenda fratris, sine liberis defuncti, Gen. XXXVIII, 3. &c. Noachidis imperata esse, in aprico sit; tùm ex præceptorum titulo, dum nos quasi per contumeliam *Noachidas* salutare soliti sunt, id quod Biblicis loquendi rationibus minime respondet.

§. XII.

Argumentum tertium.

Tertiò ea pro nobis militat ratio, quod hac ratione, si nonnulla horum præceptorum vestigia ex libro Jobi haurire velimus, non, ut vulgò fertur, septenarius, sed vel centenarius horum præceptorum numerus sit adstruendus. Patet illud per se; dum enim septem præceptorum Noachiticorum existentiam, atque autoritatem demonstrare anni:untur, ad Jobi virtutes se recipiunt, in quibus integrum horum præceptorum syntagma se invenisse putant, quibus veluti armis omnia secus sentientium tela uno ictu profligari possint. At enim verò virtutes Jobi non septenario tantùm numero, aut iis, quæ in Noachiticis præceptis recensentur, capitibus continebantur, sed in longè ampliora spatia se diffundebant. Insignis Jobi spatientia in sacris monumentis tanta præfulget excellentia, ut ipse Spiritus Sanctus mirificè eam commendet. Heroica ejus in Goëlem suum fides, cum fundamentum fidei constituat, primarium certè horum præceptorum caput occupare debuisset. Et quis omnes Jobi virtutes in medium proferre audeat, quibus commemorandis paginarum angustia certè non sufficeret? Apertum igitur esse crediderim, admodum incongruè pro demonstranda horum præceptorum αὐθεντία ad librum Jobi provocari; cùm enim nulla Noachi mentio injiciatur, & plura insuper præcepta Jobus observare studuerit, ne conjectando quidem assequi possum, qua ratione, vel veri aliqua specie Noachidarum præcepta commode ex hoc libro deduci queant.

§. XIII.

Argumentum quartum.

Quartò nostram stabilimus sententiam ex insufficienti præceptorum enumeratione. *Major namque fuit pietas Patrum ante diluvium, & Noachi, quam quæ hisce præceptis continetur, nec in historia V. T. aliquod*

est

est istius, quod somniant, juris vestigium, ut loquitur LEIDEKKERUS *de Republica Hebræorum, l. 1. c. 5. p. 28.* Sex enim priora præcepta aut Adamo data fuerunt ante lapsum, aut post lapsum. Si ante lapsum, saltem non opus erat, adversus idololatriam tunc ipsum admodum monere, & præterea datum ipsi præceptum de Sabbato, nec non de non edendo ex arbore scientiæ boni & mali: Si verò post lapsum, postquam restitutus erat per promissionem Messiæ, longè pluribus exercitiis, quàm in his præceptis commemorantur, ipsius pietas constabat. Nec dubium est, quin præceptum etiam de sacrificiis acceperit, nam credendum utique, Abelem per fidem offerentem esse imitatum Parentem Adamum, ut rectè infert LEIDEKKERUS *l. 6. c. 7. p. 378.* Verissima igitur sunt, quæ profert *RACHELIUS in Dissertationibus de J. N & G. th. 100. p. 99. Inter septem illa Noachidarum præcepta, uti non desunt, quæ juri arbitrario rectius accenseas, ita multa eaque gravissima juris vere naturalis præcepta reliquis addi ab Ebræis debuerunt.*

§. XIV.

Quintò denique confirmatur sententia nostra ex falsi assertione. Patebit illud cuivis primo intuitu ex septimo præcepto, quod neque ad capita juris naturalis, neque positivi universalis referri potest. Quodcunque igitur legis ceremonialis proprium est, ad legem moralem incommodè transfertur. Nervosè hæc complectitur ZENTGRAVIUS *in disquisitione de origine, veritate, & obligatione juris gentium, artic. 1. §. 36. p. 53. 54. Quicquid sit de historia rei, quam Hebræorum & Rabbinorum fidei relinquimus, præceptum septimum de membro animalis vivi non comedendo, ad jus universale non pertinere, manifestum est; cetera verò, communia licet, insufficienter sunt enumerata.* Nec non *OSIANDER in typo legis naturæ p. 176. Omnia illa esse legis naturæ, quæ in septenario hoc occurrunt, grande nimis videtur postulatum: Sanè illud de membro animalis viventis non comedendo, quod ipsi Talmudistæ extendunt ad sanguinis comestionem prohibitam, juris naturalis esse nequit.* Imo *dubium adhuc existimamus* cum DORSCHEO *l. c. artic. 1. §. 3. an omnia Adamo. & Noacho præcepta perpetuo gentes obligaverint. Fuit sanè præceptum Adamo datum de sacrificando, & ita repræsentando semen mulieris, demum sacrificio suo contriturum caput serpentis. ( ) At istud non obligavit ultra tempus oblationis Christi, licet sacrificiorum oblatio ex more Judaico aliquandiu post ascensionem Christi tolerata fuerit. Non igitur, quod ante Mosen, Adamo, & Noacho præceptum est, omnes homines, semperque obligat ex eo capite, nisi aliunde obli-*

Argumentum quintum.

gationis

gationis ostendatur ratio. His ita se habentibus, longè utiquē consultius erit, ab istis loquendi formulis prorsus abstinere, & præceptorum Noachiticorum autoritatem suo loco, suisque Autoribus relinquere. Nostrum ergò facimus elegans LEIDEKKERI epiphonema, *l. c. l. 6. c. 7. p. 379. Nova sunt Judæorum commenta, recentia jura, in Scripturis planè ignota, in Republica antiqua Hebræorum non usitata. Non licet, recentia Judæorum commenta pro veris antiquitatibus Hebræorum obtrudere.*

§. XV.

Locus Act. XV, 20. vindicatur.

Palmarium GROTIO, cum quibusdam aliis, videtur argumentum, ex Act. XV, 20. depromptum, ubi jubentur gentiles abstinere à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine. (g) Ex hoc loco enim HAMMONDUS colligit, *non oportere à gentilibus circumcisionem requiri, cùm ad fidem Christi convertuntur, sed satis esse, si modo Noachidarum admittant præcepta, uti solent proselyti portæ.* Sed enim verò facilè hujus imbecillitatem argumenti prævidit CLERICUS *in notis ad Hammondi paraphrasin;* admodum enim laborat, ut sufficientem reddere queat rationem, cur quatuor saltem, omissis reliquis, commemorentur præcepta, imò septem illa præcepta in hoc versiculo implicite commemorari putat. Initio enim vero non absimile putat, hoc *Phocylidis* versu:

Αἷμα δὲ μὴ φαγέειν: εἰδωλοθύτων δὲ ἀπέχεσθαι.

Sanguinem non comedere, & abstinere ab idolothytis, integrum præceptorum Noachiticorum numerum designari. Deinceps ostensurus, singula in hoc versiculo recitari præcepta, primum præceptum de abstinendo ab idolothytis duo priora continere contendit; alterum de abstinentia a sanguine ad tertium refert; tertium de suffocatis ad septi-

(g) Eandem fovere videtur sententiam *CORNELIUS à LAPIDE*, qui ad h. l. ita commentatur: *Nota, vetari hic Christianis esum sanguinis & suffocati, non idcirco, quod lex Mosis Judæis illa vetarit, ( ) sed quod illorum usus vetitus esset a Deo, ante legem Noæ, & posteris ejus paulò post diluvium, Gen. IX, 4. Hoc ergo præceptum positivum à se datum olim toti mundo, hic renovat Deus gentilibus, ut eos cum Judæis illud observantibus conciliet.* Nec abludit *SCHINDLERUS in Lexico Pentaglotto, rad.* נזה *p. 1530.*

ſeptimum reducit; quartum de fornicatione in quarto quoque præcepto Noachitico quærendum eſſe exiſtimat. Quintum præceptum de furto ex editione Complutenſi ſupplendum cenſet, ubi hæc verba habentur, ne, ſibi quod fieri non volunt, id aliis faciant. Præceptum denique ſextum de judiciis jure omitti potuiſſe arbitratur, quoniam Judæi vivebant ſub Romanorum poteſtate, nec, qui a Gentilismo ad Chriſtianismum accedebant, obſequium, quod exhibebant Magiſtratui, erant exuturi. Sed enim vero admodum coacta hæc derivandi ratio mihi videtur. Quid enim præcepto de abſtinendo ab idolothytis cum præcepto de maledictione Nominis Divini? Nec ulla apparet convenientia inter præceptum de abſtinentia ab eſu ſanguinis, & inter præceptum de effuſione ſanguinis: Toto enim cœlo differunt, abſtinere ab eſu ſanguinis & non committere homicidium: Illud eſt ceremoniale, hoc morale. Quodque CLERICUS ad editionem Complutenſem confugiendum eſſe exiſtimat, deſperatam cauſam indicit, ut &, quod præceptum de judiciis inutile arbitratur. Nos ex ipſa textus συναφεία argumentum in contrarium deſumimus & inprimis particulam, μηδὲν πλέον urgemus, hinc fruſtra ſunt, qui quatuor illis præceptis, ad tempus datis, addere quædam non dubitant. Nihil enim minus h. l. quam præcepta Noachitica inſinuantur, cum in eo Apoſtolus operam, ſtudiumque ſuum collocaverit, ut ethnicos, imbecilles in fide, æternæ ſalutis hæredes conſtitueret. Prohibuit circumciſionem, quam neceſſariam exiſtimabant Judæi, & pro illa temporis ratione quatuor ſaltem iſta capita ethnicis commendare voluit, ut omne evitaret ſcandalum, licet ſucceſſu temporis pleraque illa capita fuerint rejecta. (h) Cum igitur hic nulla præceptorum Noachiticorum injiciatur mentio, & nulla illorum veſtigia deprehendantur, iſti quidem ſententiæ noſtrum adjicere calculum, merito dubitamus.

(h) Non incongruum, vel contemnendum eſt B. CALOVII *in Bibliis illuſtratis, ad h. l. p. 894.* judicium: *Dubium eſt, an hic Apoſtoli ad præcepta Noæ data obligari gentes voluerint, quia leges filiis Noæ datæ dicuntur tantum feciſſe proſelytum portæ, qui exterius cum Judæis converſari potuerit, non proſelytum juſtitiæ, qui in interiori communione, cujus hic ratio habetur, fuerit.*

F I N I S.